

Nothfall der Adel mit seinem König sich gerne armiren und die Unterthanen mit ihren Erbherrn Leib und Leben darfstrecken.

Hiermit schließe ich meine geringe Gedanken und bitt um Gottes Willen, Ihre Kais. Maj. wollen meine schuldige Tren nicht in Ungnaden vermerken, sondern meiner weniger Person keine Meldung thun und sich dieses einfältigen Gutachtens nur zu einer Anleitung höheren Nachdenkens förderlich gebrauchen. Der allmächtige Gott lebt noch; seine mächtigen Hände sind nicht gebunden; er kann verzweifelte Sachen zurecht bringen und hilft gern, wann der Mensch seiner ertheilten Mittel mit guter Ordnung sich gebrauchen thuet.

6.

An expediat d. generalissimum ducem Fridlandiae ab officio revocare et regem Ferdinandum III. bello praeficere?*)

Pro parte negativa stant omnes, qui ducem Fridlandiae in generalissimum elegerunt, qui munera ab ipso acceperunt et qui talia sperant. Utuntur autem his argumentis :

1. Quod post obitum d. Tilly nullus sufficientior ad officium generalissimi habeatur duce Fridlandiae, ut qui ante hoc idem laudabiliter deserverit.

2. Quod dux Fridlandiae sit rerum bellicarum intelligentissimus, speculativus, militibus gratus, hostibus formidabilis, felix ad conscribendos exercitus, potens in pecuniis, vigilans in rebus agendis, sublimis in pacis mediis et fidelis subditus domus Austriacae.

3. Quod dux Fridlandiae rebus desperatis unicus subvenerit, ab imperatore ad hoc officium requisitus sit et vigore plenipotentiae sibi datae subito ingentem exercitum collegerit, Suecum non tantum ab ulteriori progressu impediverit, sed et ad Lucenam occiderit et sic Austriaca regna conservaverit, qualia vix alius quiscunque sperare, multo minus praestare potuisset.

4. Quod dux Fridlandiae non possit amoveri sine nota summae ingratitude, quod imperator ipsi continuationem in officio sancte promiserit et sine labe revocare non debeat; quod periculosum foret, ducem armatum offendere; quod non sit inter ministros imperatoris,

*) Aus den Copialbüchern des Bischofs Emanuel Grafen von Waldstein.

qui tanto oneri sufficiat; quod experientia docuerit, duce amoto omnia male cessisse et per ipsius restitutionem respirasse.

5. Quod regis Hispaniarum legati, ministri, monachi confessarii ducem Fridlandiae dignissimum ad hoc officium aestimaverint et adhuc ut redemptorem domus Austriacae venerentur et proclament, et quod convenientia media desint, quibus dux avocari aut suaviter amoveri possit.

6. Quod dux Fridlandiae solutionem militum et sumptum belli in se susceperit et hactenus ab imperatore omnem curam et metum tumultuum averterit.

7. Quod serenissimus rex Ferdinandus III. adhuc juvenis sit et inexpertus; quod ordines imperii offenderentur, si armatus rex in imperium prodiret, quasi regnum Romanum violenter occupare intenderet atque sic spe successionis per electionem pacificam caderet; tum quod innata clementia Austriaca non permittat talem rigorem erga status contrarios exercere, qualem ratio belli requirit, ac denique quod non sufficerent sumptus ad regem et exercitum alendum.

Haec fere sunt argumenta praecipua partis negativae, quae sub finem resolvuntur.

Pro parte affirmativa offerunt se omnes, qui Dei gloriam, ecclesiae sanctae et domus Austriacae conservationem pure intendunt, qui privata negligunt, ut publica defendant, libere produnt. Et hi sequentibus argumentis nituntur:

Primo. Quod ideo expediat ducem Fridlandiae ab officio generalissimi avocare, quia experientia et actiones ipsius testatum faciunt, illum ad tantum opus non sufficere. Si enim actiones ipsius a duobus proximis annis candide examinentur, vix una erit, quae verae prudentiae aut militaris scientiae specimen habeat et non potius ignorantiae vel malitiae suspicionem praebeat.

1. Cum anno 1632 ingentem exercitum sumptibus Caesaris Majestatis feliciter collegisset, Suecum hiemali rapina attritum praevenisset, Saxonem imparatum evertere potuisset, ipse, hosti tempus indulgens, tardius Pragam aggressus duodecim millia militum ex Bohemia Saxoni libere remisit, hoc sibi pro summa prudentia proponens, quod Saxonem suaviter tractando ad pacis consilia inducere vellet, atque in hac male fundata imaginatione tota aestate permansit, cum Saxone

per suos de pace egit et a bello contra Suecum, imparem viribus, turpiter abstinuit.

2. Otium ad Nürnbergam majori labe apud caesarem excusavit, cum splendide promitteret, se Suecum consumere velle et posse; quod sicut militari rationi omnino repugnat, ut quis hostem potentem in apertis campis concludat, ita eventus docuit, quod non Suecum, sed caesaris exercitum et sumptus inutiliter consumpserit.

3. Cum eodem anno Suecum a Nüremberga recedentem de ratione belli insequi debuisset, ipse dulcem Pragam sibi sedem elegerit [et] ita turmas militum diviserit, ut vix Sueco castra producenti ad Lucenam occurrere potuerit.

4. Cum Deus ad Lucenam victoriam in morte Sueci concessisset, ipse dux, plenus terrore, fugerit, milites ex hostium provinciis eduxerit et in haereditariis regnis Austriae hiemare voluerit.

5. Cum anno hoc 1633 iterum numerosum exercitum comparasset et in Silesia hostem inter montes quinta Junii conclusum haberet et Germaniae veram pacem restituere potuisset, ipse dux, praestigiis hostilis ducis Arnheim persuasus, ab armis cessarit et occupatas provincias Saxoni sine ratione restituerit et consilia reasumpserit, iisque denuo totam aestatem, sumptus, occasiones et exercitum frustra perdiderit, hosti vero copiam feliciter sine resistentia progrediendi dederit.

6. Cum hostem sibi imponere et nihilominus quam pacem intendere videret cumque ductore Schaffgotsch ad Steina optimam victoriam obtineret, ipse hostem in Saxonia trepidantem non sit persecutus, immo privatae potius ambitioni satisfecerit et tamdiu in Bohemia distractus haeserit, donec hostis Ratisbonam, propugnaculum Austriae, et Bavariam invaderet, necnon comitem de Thurn, captivum caput rebellium, sine necessitate dimittiret.

Atque haec de actionibus Fridlandicis magis notis sufficiant.

Secundo argumentum, quod fama publica constat, ordinum imperii animos a caesare et domo Austriaca ideo prorsus abalienatos esse, quia sciunt ducem Fridlandiae gloriari solitum, exercitum non electores eligere imperatorem, episcopos more Italarum in ordinem redigendos et principibus saecularibus arma non esse concedenda, imperatori deberi absolutum imperium et hoc armis esse manutenen-

dum. Cumque haec omnia per continuas exactiones, violentas oppressiones et invasiones provinciarum hostiliter ad actum deduxerit, non est in imperio, qui ipsum non pro capitali hoste detestetur, ita plane, ut si domus Austriaca cum ordinibus conciliari et caesaream dignitatem in externos non deferri velit, hic unus omnibus exosus amovendus sit.

Tertio. Quod dux Fridlandiae per plenipotentiam acceptam pro libitu de bello et pace disponat et ad neutrum consensum imperatoris, multo minus ordinum requirat et, quod admiratur orbis, in rebus arduis contra ordinationem Dei nullum consilium admittat, solis magis aliquot confidat et astrorum vanam inclinationem Dei creatoris infallibili providentiae praeferat.

Quarto. Quod dux Fridlandiae de numero militum, de distributione bonorum fisci et de pecuniis acceptis ita libere disponat, ut nequidem de reddenda ratione mentionem admittere velit et palam gloriatur, se nec superiorem nec parem ferre posse.

Quod dux Fridlandiae ex pura vindicta suae depositionis Ratisbonensis bellum protrahat, pacem fingat, ordines imperii indefensos relinquat et plerosque ad defectionem apertam cogat, sicut manifeste deprehendet, qui actiones ipsius examinare volet.

Ex his omnes fideles domui Austriacae concludunt, ducem Fridlandiae avocandum, nisi imperium et regna sua in hostium manus cum aeterna infamia devenire velint.

Quod autem reges Austriaci caesaream dignitatem, sua regna, ecclesiam Dei, immo christianum orbem conservare possint, si regem Ferdinandum III. bellis praeficiant, huc luculenter sic demonstratur:

1. Quod Ferdinandum III. Deus et natura tam excellenti ingenio, tam accepto iudicio et corporis viribus armaverat, ut Rudolphis, Maximilianis, Carolis, Philippis, gloriosis majoribus suis, nihil cedat et omnibus bonis restituendae reipublicae christianae certam spem faciat.

2. Quod Ferdinandus III. ab omnibus ordinibus ad officium generalissimi exoptatur.

3. Quod per hanc resolutionem omnium animi ad solitam confidentiam cum domo Austriaca redibunt et exterorum factiones deserent.

4. Quod imperator omnem sinistram suspicionem delebit, si amoto duce Fridlandiae filium suum ordinibus desideratissimum quanto citius substituat.

5. Quod publicae honestati et splendori augustae domus satisfiet, si rex Ferdinandus pro Deo, pro ecclesia, pro imperio et pro universa republica christiana armatus in theatrum mundi prodeat.

6. Quod hostes de subita insperata mutatione trepidabunt, quando in ardore Ferdinandi fortunam Caroli obviam invenient.

7. Quod omnes nobiles ultro arma arripient, cum regem suum exercitum ducere videbunt.

8. Quod Ferdinandus rex solo nomine et affectione plures milites comparabit, quam dux Fridlandiae multa mercede conducere possit.

9. Quod rex Ferdinandus formatum consilium bellicum habebit, nihil temere tentabit et de externis juste disponet.

10. Quod per hoc medium coronam imperialem promerebitur, quando ordines a tyrannide exterorum liberabit.

11. Quodsi imperator dare resolutionem diutius differat, omnino metuendum sit, ne desperati ordines exterum Gallum „50 millia militum et ingentes pecunias noviter Erfordiae offerentem“ in imperatorem eligant et sic ruina domus Austriacae ex voto hostium subsequatur.

Ex praemissis haec sequentia sunt necessaria: Si imperator velit imperium conservatum, pacem restitutam, ecclesiam florentem ad Dei gloriam, avocet ducem Fridlandiae, exosum omnibus bonis, et praeficiat bellis suis exoptatissimum filium Ferdinandum regem.

Sed ne argumenta pro duce Fridlandiae apud incautos praevalcant, ad singula respondetur.

Ad 1. Absit invidia laudis d. generalissimi, sed cesset etiam injuria aliorum militum. In bello actiones perdunt valorem, eventus veritatem inducit.

Ad 2. Sit dux intelligentissimus et speculativus; quia vero speculatio non transiit ad actiones, a politicis ut Chimaera rejicitur non secus ac Judaeus frustra in mente foeneratur et superbos in aëre arces exstruit. Quod militibus sit gratus dux, concedunt, qui ex rapinis ditescunt et libenter otiantur, negant, qui bellum desiderant et stipendiis frustrantur. Quod hostibus sit formidabilis, non habet rationem,

quia non ferit, sed suaviter parcit. Felix est dux ad colligendos milites, quia ex caesaris sumptibus liberalis est. Potens est in pecuniis alienis, non propriis. Vigilans est, in rebus agendis nihil agit. Sublimis est in pacis mediis, ut universo orbi se risui exponat. Est fidelis subditus domus Austriacae, hoc omnes boni desiderant.

Ad 3. argumentum et ejus singula puncta: Quod rebus desperatis dux subvenerit, ut magis desperarent boni et alienarentur. Verum est, quod dux bono zelo electus sit; quomodo opinioni responderit, eventus docuit. Quod exercitum bis conscripserit, omnes dolent; quod Suecum occiderit, turpi fuga inglorium fecit. Non Austriam, sed hostis provincias conservavit. Quod haec nullus alius praestare potuisset, esto: quia nemo tam turpiter errare potuisset.

Ad 4. argumentum et singula: Quod dux sine ingratitude nota amoveri non possit, quia imperator continuationem promiserit, ita intelligentiam habet, quod sicut duci liberum est resignare, ita et caesari revocare; gratiae vere debeantur bene meritis, non otiosis. — Quod periculosum foret, ducem avocare, hoc arguit malam intentionem; non offendetur, si fidelis est, cum ipse suam insufficientiam agnoscat. Quod non sit minister, qui huic oneri ferendo par sit; erit ergo rex Ferdinandus, et forte minimus miles praesumat melius agere. Quod amoto duce omnia male cesserint, causa est ipsius relicta confusio. De respiratione nihil constat.

Ad 5. argumentum respondetur: Quod Hispani sicut imperiales ministri bono zelo ducem elegerint, quia vero ille spei et promissis non satis facit, errorem in tempore corrigere intendunt. Quod redemptor ab adulatore dux vocatur, vanitas est; re domum Austriacam ex integro perdat, necessariam facit amotionem, ad quam media non desunt, si imperator ducem suaviter avocet, militibus, ne ulterius illi obediant, mandet, regem Ferdinandum pro generalissimo declaret et praefectum Gallas substituat.

Ad 6. argumentum respondetur: Suscepit dux solutionem militum. An solverit, non constat; an a tumultu caesarem liberaverit, eventus docebit.

Ad 7. argumentum respondetur et singula: Quod rex Ferdinandus juvenis sit aetate, judicio vero plus quam senex, quem defectum experientia consilio bonorum facile supplebit; quod non offendet,